

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

SISTENS

SEMIOLOGIAM

AEGROTI INFANTIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

SPECTABILIS DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMIORUM D. D. PROFESSORUM

P. R. G.

GRADU DOCTORIS MEDICINAE

RITE CONSEQUENDO

**IN ALMA AC CELEBERRIMA REG. SCIENTIARUM
UNIVERSITATE HUNGARIAE**

CONSCRIPSIT

JOANNES BAP. KLIMKO,

MUNKATS BEREGLIENSIS.

**In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universi-
tatis minori die Octobris 1834.**

PESTINI.

TYRIS JOSEPHI PEIMEL.

Wenn ein erwachsener Kranke einem Buche gleicht, welches in einer mehr, bald weniger verständlichen immer aber bekannten Sprache geschrieben ist, so kann man das Buch der Krankheiten der Kinder als in Chiffren geschrieben ansehen, wo man nur die am öftersten vorkommenden Charaktere kennen gelernt hat, und den Text nach denselben beurtheilen muß.

Friedrich Jahn.

C o n s p e c t u s .

Introductio	Pag. 3
-----------------------	--------

Sectio primo.

De Investigatione respectu Dispositionis Infantis.

Aetas	5
Constitutio corporis	6
Sexus	—
Vitae modus	7
Dispositio haereditaria	—
Idiosyncrasia	8
Morbi praegressi	—

Sectio Secunda.

De Investigatione causarum occasionalium.

Habitatio, Anni tempus, Clima, Endemia, Epidemia	9
Victus ratio	—
Somnus et Agrypnia	10
Vestitus	11
Animi affectus	—

Sectio Tertia.

<i>De Investigatione Symptomatum.</i>	12
---------------------------------------	----

I. Habitus corporis externus	—
--	---

Color cutis	pag. 14
Temperatura corporis	—
Situs et motus	15

De Investigatione partium corporis singularum.

Caput	18
Physiognomia	19
Oculi	—
Nasus	21
Os	—
Aures	23
Collum	24
Pectus	—
Abdomen	—
Partes genitales	25
Anus	26
Dorsum	—
Cutis externa	—

II. Symptomata Functionum singularium

1. Functiones vitales.

Respiratio	26
Tussis	28
Vagitus	29
Pulsus	31

2. Functiones naturales.

Suctus	32
Appetitus	33
Sitis	34
Vomitus	—
Alvus	35
Urina	36
Sudor	37

3. Functiones animales

Somnus	38
Animus	39



I n t r o d u c t i o .

§. 1. **T**ot, tantasque in dignoscendis Infantum morbis difficultates, frustrataque omnis aevi in hoc opere Medicorum conamina minime mirabimur animadvertentes, Infantem alterum usque aetatis annum mere vegetativam vivere vitam, passiones suas ore tenus accusare plane non, aut imperfecte potentem. Potiuntur attamen et infantes loquela illa nempe hieroglyphica naturae, quae utique proprium studium requirit. Ingratae sensationes labefactatae sanitatis in fanilis reflexione panduntur, seque observationi medicae sistunt. Contorta faciei liniamenta, motus automatici patientem versus partem, effectus doloris contrectatione ejusdem provocati, qui clarissime in oculo et circa os extricatur, ejulatus varie modificatus, indifferens animus vel plane aversatio alias gratorum objectorum, inquietudo, agrypnia, sunt totidem signa statum infantis physiologico-pathologicum manifestantia.

§. 2. Physiognomia ergo inviantem praefert faciem in diagnosim morbi Infantis indaganti. Sed et relationes Parentum, atque Nutricum non exigui sunt hoc in opere momenti, non tamen tanti, ut eorundem eloquentiae plena praeberi possit fides. Namque ignorantia, praesudicium, aut perversa astutia saepe reticere faciunt circumstantias scitu necessarias, aut eas

false assignant, quae omnia Medicum ad propriam observationem refugere cogunt.

Non vilipendendae proin circumstantiae et minimum suspectae. „Vel Minimum dicit expertissimus Vogel *) est apud Infantes saepe momentosum, quod apud adultos indifferens et absque effectu est.“—Affabile quoddam signum non semper qua tale felicitis exitus habendum, et contra: Minus favorabiles apparitiones Medicum animo despondere ne faciant. Ut proin ne in casu primo incuria et immatura certitudine in posteriori praecipitanti interitu in sui detrimentum de contrario vincatur. Praesente vero vitae periculo nequaquam parentes frustrata spe consolentur. Rarus est casus periculo minitantes circumstantias celare poscens, sed praedicet Medicus instantem dilecti geniti interitum modesto et consolanti modo, per idem Matrem ad instantem tristitiam praeparat, et mitigat ab hinc provenientes impressiones.

§. 3. Ex his apparet innegabile esse tractationi morborum infantilium se maximas opponere difficultates. Ex parte tamen altera non exigua offert emolumenta. Hic enim se offert occasio autocratiam naturae propius noscendi, quae tam parvo indiget, quam prout simplicissima methodus optima est, et quam pauca medicamenta plus proficiunt, quam eorundem sarago, quem valorem et observantia dietetica habet. Attenti reddimur hic in activitatem autocratiae naturae, nulli bi namque symbolum hocce „Medicus Naturae minister“ rectius applicatur, quam dum cum aegrotis infantibus agimus. Hoc tamen non obstante occurrunt casus, ubi ars energice in vitam organismi infantilis agere debet.

*) Allgem. mediz. diagnosi. Untersuchung zur Erweiterung und Hervollkommung des Kranken-Examens. 2ter Th. Stendal 1831. S. 150.

Sectio prima.

De Investigatione respectu Dispositionis Infantis

A e t a s.

§. 4. Immutabili lege naturae sancitum est hominem singula aetatis periodo operante peculiari sua organisatione, et vitae energia praeseferre dispositionem in certos morbos, qui in cetera aetate plane non apparent, vel tamen longe aliter modificati. Proin et aetes infantilis Medicum ad singulares contemplationes provocat. Duo principalia evolutionis momenta qua totidem periodi hic distingvenda se offerent. *Primum* comprehendit Cyclum a nativitate usque dentitionem primam, ab hinc excurrit *secundum* eruptionem usque dentium permanentium in annum usque septimum vel octavum, quo aetas proprie puerilis absolvitur.

§. 5. Innumerae calamitates considerandae occurrunt tota periodo evolutionis foetalis, qua plus minus immediatae sequelae incognitae formationis foetus in utero matris contingentis, impedita evolutio, abnormis formatio organorum singularium, difficultas partus, denique influxus potentiarum nocentium post partum. Accedit imperfecta adhuc evolutio multorum systematum et organorum. Aetate infantili praedominat vegetatio relative nimia abundantia humorum massae materia plastica divitis. Irritabilitas magna, reactio exigua absque constantia vis et energiae, intima sympathia diversorum organorum et systematum inter se.

Hinc vitio congenito dispositi neonati in asphyxias, debilitates, Icterus, in Cyanosim; Ensisipelas, indurationem textus cellulosi, Trismum. infarctus, attresias aperturarum externarum, Labium leponinum, palatum fissum, spinam bifidam, hernias. — Ex eodem fonte proclives in convulsiones, acidum primarum viarum,

vomitus, diarrhoeam, choleram, singultus, Ischuriam, alvi constipationem, crustam lacteam, atrophiam etc.

§. 6. Cum opere primæ dentitionis jam et motus febriles comparent majorem vitalitatis reactionem manifestantes. Continuo affligitur nunc infans cum dentitione connexis molestiis nonnisi illa absoluta terminandis, opere cujus universus organismus infantilis aggredditur potentia eundem ad altiorem evolutionis perfectionem evehendo pari.

Huic vitæ periodo nempe secundæ invidiosos ut proprios morbos adferre licet aequè non paucos, quales sunt: Rhachitis, Scrophulæ, angina membranacea, Tussis convulsiva, Hydrocephalus acutus, Variolæ, Morbilli, Scarlatina, Helminthiasis etc.

Constitutio Corporis.

§. 7. Haec nonnisi in tantum attentionem Medici in se convertit, in quantum Infans aetati suæ correspondentèr vegetus vel exsuccus, robustus vel debilis, an non praecipitanter excrescat in longum vel incrementum ejus sufflaminetur, quae omnia aut dispositionem in certos morbos involvunt, vel jam praesentes manifestant.

S e x u s.

§. 8. Et si influxus diversitatis sexus longe minor sit in potentiam morbigenam ut apud adultum, major attamen, quam ut silentio praeteriri possit praecipue evolutione procedente, quo sexus diversitas in certos atque proprios morbos dispositionem ponit, quam in potentiam nocentem extollunt vitæ ratio, educatio, vestitus etc. in quantum haec vitam sexualem praemature excitare vel eandem retardare possunt.

Universim frequentiores abnormitates exhibet experientia in foemella quam masculo; illae proniores in convulsiones, mucositates, Helminthiasim, strumam. Hi magis dispositi in phlogoses transudatione

lymphae coagulabilis terminandas; hi ergo frequentius et angina membranacea et febris hydroencephalitica corripiuntur. — Affectiones partium genitalium uni vel alteri sexui propriae observantur praeter vitia connata apud puerum, dum testiculi in scrotum dehiscunt, Hydrocele, Hernia scrotalis, apud puellam oedema labiorum pudendorum nec raro fluor albus.

Vitae modus.

§. 9. Praevalente in Infante vita vegetativa morborum quoque cohors vitae integritati minatur ex peccante vitae ratione, seu vivendi modo fluentium. Summam proinde attentionem merentur alimenta justa quantitate debitae qualitatis justo tempore porrigenda. Integra series morborum longe alterius indolis (e. g. debilitates atrophica) obruit infantes paucos et malo victu utentes, ubi e contra largus et superflue nutriens victus congestiones versus caput, et organa pectoris causat, et dispositionem in phlogoses praeparat, atque promovet. — Oportunissime hic meminisse censeo perversae illius consuetudinis obstetricum et nutricum pusionibus purgantia et *dormitoria* porrigere solitarum, quae per repetitum usum saepe revera partem modi vivendi infantis efficit.

Dispositio haereditaria.

§. 10. Solus Parentum conspectus saepe jam fidelissimum commentatorem constituit morborum progeniei. Sanam saepe conspicimus sobolem, ubi attamen valetudo genitorum prognosim prosperitatis geniti arcte limitat. Morbi namque, quos haereditate transplantari dicimus et si in nupernato nullum, vel saltem exiguum manifestent malitiae suae omen, vilipensi mox in dirum hostem erumpendos pertimescere faciunt, si illi per generationem vel graviditatem transplantabiles fuerint.

§. 11. Si plures supervivant eorundem parentum proles, harum exacta combinatio ad diagnosis morbi

familiae huic generi proprii conferre poterit. Ideo saepe momentosum est rescire quibus morbis fratres aut sorores subjecti sint vel fuerint, horumque decursum, rescire utrum jam plures mortui sint, quae fuerit causa mortis. Experientia docet, quod unius ejusdemque familiae plura individua in sequelam difficilis dentitionis, hydrocephali *int.* acuti, Scrophularum praedae mortis evaserint.

I d i o s y n c r a s i a.

§. 12. Praeter communes proprietates aetatis infantilis, atque iis, quae singulis familiis peculiariter appertinent, comparent adhuc nonnulla alia phaenomena in considerationem summenda, quae nomine *Idiosyncrasiae* complecti possunt. Huc pertinet e. g. invincibilis aversatio erga lac nutricis sanae optimae qualitatis, dum ex alterius mamma cum aviditate sugit. Huc, quod in nonnullis solus conspectus balnei convulsiones provocat, quod appropinquatio quarundam personarum illos inquietet. Haec cuncta in quantum Medici attentionem mereantur ipsemet, qui is est, perspiciet.

M o r b i p r a e g r e s s i.

§. 13. Non minoris dignitatis reflexionem meretur status praeteritus infantis, ac ille contemplationem praesens. Huc numerandae affectiones quaeque morbosae infantem ante haec affligentes, quo inter cetera illae dentium eruptionem concomitantes molestiae referendae, et illae insitioni variolarum sociae, et contra haec omnia in auxilium tracta medicamenta, horumque effectus.

Sectio secunda.

De Investigatione Causarum occasionalium.

Habitatio, anni tempus, Clima Endemia et Epidemia.

§. 14. Jam ipsum cubiculum commorationi Infantis destinatum non exiguum scrutinii medici objectum praebet. Hujus unicus conspectus meditati animo institutus saepe talia detegit, quae per plures apte institutas quaestiones vix tam exacte resciri potuissent. Unicus hic conspectus saepe nos edocet cogitandi, et agendi modum Parentum et nutricum, quibus in educationem prolium influunt. Cura servitium et nonnulla non commemoranda, quae praeteriri non possunt uti temperatura et aliae qualitates cubiculi, utrum nimis calidum vel frigidum, tractui aeris expositum, madidum, angustum, hominibus repletum vaporibus vel penetranti odore refertum. Hi influxus praesertim plures coniuncti, et longiori tempore in gracilem infantis organismum influentes non una vice Rhachitidem, scrophulas, Impetigines, atrophias qua tristes sequelas induxere.

§. 15. Non minorem attentionem Medici exigit in investigatione causarum occasionalium anni tempus, clima, constitutio endemica vel epidemica. Nam ingruente constitutione endemica e. g. Variolosa, Morbilliosa, Scarlatinosa, vel Angina membranacea, aut Tussi convulsiva praegnans, jam unicus aspectus in decumbente infante possibilitatem evolutionis morborum recte regnantium dijudicabit.

Victus ratio.

§. 16. Magnae extensionis differentiam constituit utrum Infans prima vitae suae periodo lacte materno

vel nutricis vescatur, vel plane artificiali modo nutriatur, vel utrum alternatim eidem ubera, et alia nutrimenta porrigantur.

Si infans lacte matris vel nutricis nutriatur, tunc status sanitatis hujus prout et vitae ratio, et animi affectus conscientiosum Medicum non minus occupabunt, quam valetudo Infantis. Investigabit proin, utrum nutrix sana, an lac debitae qualitatis sufficienti quantitate adsit. Porro quo alimentorum genere vescatur, quae et qua quantitate potus spirituosos ingerat, an commotiones in aere libero perficiat, utrum animi affectibus subjecta, vel moerore praematur.

§. 17. Si vero Infans nec Matris, nec nutricis lacte nutriatur, inquirendum: quo alimentorum genere vescatur? Utrum illud lac alterius animalis suppleat, vel in locum hujus juscula embemata, coffea, theata, Cacao, Chocolada, et similia ei propinentur. Cum haec haud indifferenter in sanitatem ejusdem influant strenue pervestiganda sunt.

Somnus et Agrypnia.

§. 18. Quietis eo plus indigent infantes, quo juniores sunt. Idem valet de somno, ut quiete profundiori, quo ferme totum exordium vitae infantilis absolvitur. Probe tamen ab eo distingvatur soporosa illa temulentia, in quam belluae nutrices curae suae concreditos conjicere solent, ut ab iisdem eo minus inquietentur. Ad hunc abusum refertur nimia agitatio in cunis soporiferis, et abusus decocti capiti papaveris albi.

§. 19. Aliter se habet somno opposita agrypnia, quae si frequentius recurrat, et diutius persistat, diversis malis generandis par est. Exacte proin in ejus causam inquirendum, cum saepe non solum morborum quorundam symptoma constituat, sed et aliae circumstantiae eandem provocare valeant, uti arctae stringentes fasciae, calor insolitus, immundities et similia.

V e s t i t u s .

§. 20. Quo lectulus linacea et propriae sic dictus vestitus spectant praecipuam attentionem merentur respectu munditiei, prae ceteris utrum vestitus non angustus coarctans, densus vel levis, an aetati anni tempori, tempestati adaequatus sit. Ex certo respectu hic et capilli, qua naturale tegmen capitis suam considerationem exposcunt, praecipue videndum, utrum munde serventur, an sic dicta pomada inungantur, utrum non frigidiusculo anni tempore subito rescindantur, quod communiter tumoribus glandularum cervicis, Inflammationibus oculi, affectionibus catarrhalibus, Encephalitidi, convulsionibus etc. ansam praebet.

Animi affectus.

§. 21. Animus infantum adhuc parum excultus fingere nescius nec esse, nec videri adlaborat quod non est, sed qua talis, qualis est se manifestat. Quare hic majori cum certitudine ex manifestatione physiognomica ad turbatum organismi statum concludere licet, quam apud adultos, qui saepe per occultationem circumstantiarum claram morbi imaginem obscurant.

§. 22. Cunctae animi affectus apud infantem ad instinctum conservationis sui, et sensationem propriae impotentiae reduci possunt, ideo ex ingratis affectibus timor, terror, ira se manifestant; gratos vero gaudium, quod saepe usque risum exaltatur, constituit.—Quas sequelas terror in infante poducere valeat, notum est. — Peculiarem animadversionem meretur, utrum insciae nutrices et servae perversam illam consuetudinem non habeant infantes titillare, vel condemnabile illud artificium exercent, nempe infantum genitalibus ludere, ut illos in quiete conservent, vel eosdem ad risum excitent ex unde qua sequelae copia malorum uti spasmus pectoris, convulsiones imo suffocationes sequuntur. Apud adultiores, ubi animus jam usque intellectum ex cultus est, in id reflectendum utrum hic praemature immoderate non adstringatur.

Sectio tertia.

De Investigatione Symptomatum.

§. 23. Ea signa, quae aberrationem et praeternaturalia structurae et functionis organismi infantilis indicant, *symptomata* vocantur. Haec sunt illa signa e morbo emergentia, quae Medicum de ejus praesentia edocent. Ex hinc magna pro Medico, qui ad lectulum infantis inanem non vult agere spectatorem, aut sua plus nocere quam prodesse procedura, utilitas Semioticae patet. Hanc proin sequentibus brevibus pertractare conabor, ita quidem ut primo Habitum corporis externum, postmodum functiones ejus vegetativas. Tandem animales pervestigemus.

I. Habitus corporis externus.

§. 24. In examine habitus corporis externi, quo eunctae corporis infantilis partes considerantur, praecipuam attentionem merentur.

Volumen corporis, quod duplici ratione *defectu* quippe vel *excessu* a norma aberrare poterit.

Imminutio voluminis. Praedominante vegetatione in organismo infantili ejus naturalis sequela est, ut corpus volumine increscat, cujus imminutio eo magis attentionem nostram eriget, quo majus fuerit voluminis respectivum decrementum.

§. 25. *Imminutio voluminis* tam relate ad diagnosis, quam prognosim pro varia abnormitatis hujus causa, gradu, et duratione variam habet significationem. Emaciatio corporis praegressis turbis functionum primarum viarum morbum in assimilatione fundatum indicat. Si haec emaciatio in facie, et extremitatibus infantis physconia, Rhachitide, vel Scrophulis laborantis contingat, malam statuemus prognosim. Subita emaciatio corporis cum abdomine praepremis collapsio, summitur qua characteristicum signum in hydrope ventriculorum cerebri acuto. In neonatis in quibus hydro-

pis haec species celerius decurrit tantum exigua mutatio in abdomine observari potuit.

§. 26. *Auctum volumen* corporis totius, vel singularum partium tantum adest, ut semper florentis sanitatis comes sit, cum non raro ex processu pathologico in organismum sevientem resultat. — Qui chronico hydrocephalo interno laborant infantes multum pingvescunt, et volumine corporis increscunt, quae tamen praevalens vegetatio inferioris solummodo assimilationis gradum assequitur. Totius corporis intumescencia Scarlatinae, morbilis variolis est propria, qua sub evolutione horum morborum absente, vel subito disparente infaustum morbi exitum metuemus. Peculiaris turgor faciei sub principio febris inflammatoriae exanthematis epidemice regnantis, et ab infante nedum perpassi eruptionem exspectare faciet. — Eaedem circumstantiae sub stadio desquamationis morbillorum, Scarlatinae prodromum instantis Anasarcae constituere solent. Tumor glandularum cervicalium sub scarlatinae efflorescentia, qua metastasis vitae periculo imminans considerandus est. Quo magis tumet regio laryngis in angina membranacea eo, majus periculum.

§. 27. Plenum et expansum abdomen saepe dyspepsias comitatur, praesertim si flatus et alvus constipa adsint. Increscente hocce abdominis volumine, praesertim frequentius recurrente Diarhoea mox alvo constipa alternante tunc ex solis his in Infarctus scrophulas, et praesente eodem tempore simultanea emaciatione reliqui corporis in atrophiam suspicionem conjicere licebit. — Crassum et latum abdomen, ob quod pectus angustatum et compressum apparet, valde in oculos cadens de Rhaohitide suspectum signum praebet. — Qui post copiosa ventris profluvia in manibus et pedibus, qua decrescentium virium vitalium sequela compareret oedematosus tumor periculosus est. In rachiticis similis tumor mortem annuntiat.

Color Cutis.

§. 28. Color, qui post quamvis vitae organicae mutationem mutatur et ipse non exigui offert signa momenti. Neonotorum asphycticorum cutis color pallidus, vel coeruleus proximam hujus asphyxiae causam proin et therapiam assignat. Coeruleus infantum Color aut ipsum morbum coeruleum characterisat, vel verò et quidem frequentius solum spasmodicam organorum respirationis affectionem denotabit, aut iis adjacentium vasorum majorum, quae per refrigerium ventris, vel aliam ejus affectionem saepe conditionatur. In viciata nutritione, aut praesente passione scrophulosa, vel rhachitica in gradu eminentiori intumescit cutis pallida vel colore viridi flavo. Color flavus praecipue per turbatam functionem hepatis et systematis biliosi provocatur. Mutatio repentina ruboris faciei cum pallore est communiter prodromum instantis morbi. Rubor intensus genae alterutrius apud infantes qua signum dentitionis consideratur. Rubor calor turgor integumentorum sub febris plus minus, valida exanthematis eruptionem praecedit.

Funestum erit phaenomenon subitaneus pallor cutis sub morbis inflammatoriis et exanthematibus.

Temperatura corporis.

§. 29. In nexu cum colore cutis et temperatura ejus exactam attentionem exigit. — Abnormis calor febris quamvis apud infantes caput occupet, tamen et per totum corpus extenditur, ubi e contra in congestionibus, et inflammationibus singularum partium ad has potissimum restringitur. Sensus horripilationis per desiderium infantis in lecto bene tecti morandi se eo clarius manifestat, quo minus infantes hunc temporem bene ferunt. *Repentine* ingressum frigus sub decursu morborum acutorum suspectum est. In inflammationibus, febris exanthematica, evacuationibus profusis repentina haec temperaturae mutatio in collapsas vires vitales,

periculosas metastases vel alium funestum exitum nos attentos reddit. In hydrocephalo acuto calor cum frigore continuo alternat dum e contra in feбри nervosa cutis fere pungentem habet calorem.

Situs et Motus.

§. 30. Quo plus spontaneitatis in motu eo laetior status aegroti, e contra tristior quo immobilior jacet. Praeter hanc communem significationem et eam specialem utilitatem praestat, quod aegrotus per motus hos simul quasi sedem affectionis morbosae assignet, taliterque loquelae vices agat. Verum quotiescunque attentionem nostram in haec convertimus, consuetudinis et coecae parentum indulgentiae rationem habeamus, prouti jam ex dictis pro parte patet, quod unice ex quiete aut inquietudine infantis non semper possibilis sit justa conclusio. Nulla ratione proin sequitur quod, infans, cujus artus convulsive moventur, et ejulando in lecto se agitat, semper in eodem gradu infirmetur, et dolores patiat. Sicut et contra erronea et periculosa deviatio esset quietem et patientiam quo nonnulli infantes passiones suas fecerunt pro mensura earundem summere.

§. 31. Inquieta jaectatio totius corporis apud irritableiores jam sub leviori motu febrili locum habet. Sic laesa functio organi cujusdam, anxietas, sensus doloris infantes inquietos reddit. Communiter inquietudo eruptionem cujusdam exanthematis praecedat. ubi vero haec inquietudo sub decursu exanthematis occurrit, vel ob impeditam ejusdem eruptionem provocatur summae perpensionis imo saepe laethale signum est. Praegressam inquietudinem si subita quies, quam nequaquam qua sequelam virium defatigarum vel ut remissionem morbi explicare valemus, excipiat, suspectum est. Contrarium nempe praegressam quietem insequens desiderium infantum ut e lecto eximantur mox iterum in idem ut reponantur aequae saepe in gravioribus morbis mortem praecidit. Ita in genere quaevis hujusmodi ulteratio laethalem mutationem morbi indicat.

§. 32. Ex eodem respectu et singulae corporis partes pervestigandae. — In affectionibus cerebri infantes caput sursum extendunt cum prominente mento, illudque huc illuc inquiete jactant. Jactatio haec capitis ab irritatione quoque abdominis per flatus acidum primarum viarum, nimia ventriculi oppletionem, vermicibus, vel ab irritabilitate et sensibilitate exaltata uti in febris in genere in quavis idiopathica vel sympathica affectione encephali, per quam sensibilitas ejus exaltatur, observatur sic in capitis doloribus idem antorsum flectunt ac si frontem figere vellent. Similes apparitiones observantur sub defluvio capillorum ante eruptionem tineae capitis, othorhoeae, vel suppressionem ejusdem et s. p. hanc inquietudinem apud pusiones penetrantia effluvia odora, fasciatio stricta vel defectus munditiei aequae causare possunt. — In Tracheitide acuta continuo caput postorsum clinant cum prominente larynge, quem situm capitis et in Isthmitide vehementi, sub tumore magno tonsillarum, copiosa secretionem muci in cavo oris contingentis observare licet. In ophtalmiis photophobia junctis oculis incumbere amant, quod praecipue ophtalmia scrophulosa affectis proprium est.

§. 33. In morbis pectoris infantes se in talem situm ponere omnimode adlaborant, ex quo liberius respirare valeant. Si morbo pectoris inflammat, afficiantur in dorso libentissime cubant; cum ex omni situ lateri affecto opposito ad tussim irritentur, ipsi pusiones in brachiis nutricum situm erectum maleferunt. — In difficultata respiratione per congestiones in pulmones vel inflammatione eorundem adhuc extensio brachiorum accedit, et quo magis infantes illa extendunt, eo majus periculum. In pleuritide saepe observare licet Infantes lateri affecto (praecipue praesente dolore intenso) fortiter apprimere brachium, dum interea brachium alterum supra caput locant. Ex Cyanosi decumbentes in latere sinistro jacere non posse dicuntur, sed in hunc locati mox se ex eodem in dextrum vel supinum invertunt. — Infantes qui ex latere uno morbose excrescunt in hoc paccatius jacent quam opposito, et in doloribus singularum partium libenter his in-

cubant, sic dum doloribus abdominis vexantur in hoc jacent, quamvis interdum et situs dorsalis observetur, atque sub insultu femora attrahunt, vel extrorsum extendunt.

§. 34. Hic occupantibus in diagnosim morborum infantilium indagantibus propriae significationis objectum praebent manus, quae ut fideles testes saepe solae sedem doloris assignant. Sic in Hydrocephalo acuto observatur, quod infantes manibus frontem contrectent, quod in capillis velicent, in auri et naso terebrent. In angina membranacea laryngem versus captant, ac si quid inde adimere vellent. In affectionibus abdominis haec Pantonomia manuum, dum dolores ingruunt, in abdomine perfici conspicitur. Sub doloribus oris non modo in proprium, sed si possunt et in alterius os digito procedunt. In febribus gastricis, generatim in omni morbosa membranae mucosae tubi, intestinalis irritatione ut e. g. per vermes, scrophulosim, atrophiam provocata labia velicant, ungues manducant, nares terebrent. — In Ischuria et ab hac provocatis doloribus versus pubes brachia saepius dirigunt, in Hydrocephalo int. acuto pudenda contrectant.

§. 35. Licet manus clariora nobis praebeant signa automatica morbi diagnosim facilitantia, neque tamen et extremitates inferiores hoc in opera inertes sunt, et hae proin observationi medicae dignae. — Repentina, et alternans attractio, et repulsio earum observatur in doloribus abdominis, in Ischuria. Debiles vel physconia vel rhachitide affecti infantes crura libenter in crucem unum alteri superponunt. — Quod si motus hi omnes extremitatum cum doloribus conjuncti sint, quod per ejulatum manifestatur, quin luxatio, inflammatio vel tumor in illis adsit, cutis vero calida, vel tensa tangatur, signum vehementis febris vel affectionis articuli erit.

Ad examen habitus externi denique et variae cutis externae anomaliae referuntur, quo spectant exanthemata febrilia et afebrilia, contagiosa et non talia, tumores, excrescentiae, ulcera, vulnera, contusiones, combustiones, porro fracturae, et vitia organica congenita, vel acquisita, prolapsus, et herniae.

De Investigatione partium corporis singularium.

C a p u t.

§. 36. In Capite ante omnia ejus magnitudo et conformatio, consistentia ejus ossium, et status fontanelarum pervestiganda erunt eo magis, quo junior fuerit infans. Sed nec toties in capite occurrentes tumores, aut impetigines, aut harum reliquiae respicere superfluum erit. — Sic apud neonatos Medicus videbit: utrum ossa cranii sibi subtrusa non sint, an statim post partum tumores compareant in capite nec ne.

§. 37. Tumor integumentorum capitis mollis carnosus in neonatis est sequela pressionis sub partu. Verum tumor mollis pulsans, quidam premitur temulentiam, rigiditatem, vel contorsiones oculorum, et convulsiones causat, in herniam Encephali concludere admittit. Per integram fere superficiem partis superioris capitis se se extendentem tumorem manifestat se. Hydrocephalus acutus. Ex manifesta fluctuatione margine osseo cincta Thrombum neonatorum cognoscimus.

§. 38. Ossa tenuia tenera cum procedente aetate infantis errores reproductionis accusant, qui status ut plurimum qua prodromum Rhachitidem praecedit. Tensae et prominentes fontanellae praesertim multiplicata pulsatione, congestionem indicant, occasione qua frequenter universalis inquietudo apud infantem observatur. E contra collapsae fontanellae apud debiles occurrunt, et apud eos, qui frequenter diarrhoea laborant. Si hae sub convulsionibus concidant tunc, fere semper signum instantis mortis praebent. Hydrocephalus int. chron. suturas et fontanellas multum ab invicem dispellit, unde caput nunc magnum et altum. In decursu Rhachitidis caput volumine insolite auctum formam latam et rotundam, in scrophulis vero informem ovalem cum impressis temporibus assumit.

Sub investigatione capitis peculiarem attentionem sibi vindicant Impetigines partim, quod copiose occurrant, tum quod subito et inaequanter sublatae causam morborum periculosorum, et saepe lethaliu constituant, et non tantum convulsiones, sed ophthalmias hydrocephalum int. act. hydropem etc. ut sequelas habent,

ita, ut impetigenes scenam principalem in pathogenia aetatis infantilis ludant.

Denique nec capilli nobis praetervidendi erunt quippe, qui nimis longi conferti transpirationem impediunt, et ad varia mala disponunt, qui subito rescissi vel unguentis variis, partim contra pediculus, partim contra impetigenes tractati momentum pathogeneticum notabile sistunt.

Physiognomia.

§. 39. Vix aliud quodpiam proverbium communi consensu adeo usu receptum ac illud, quod Physiognomiam speculum animae esse dicit, quotidie et absque contradictione idem repetere audimus. Quanto magis idem valet de infante fingere inscio reflexiones vitae mundanae ignoto. Animi pathemata et affectus non secus ac laesiones organicae functionum internarum physiognomia vario modo reflectuntur. — In affectionibus Encephali liniamenta faciei rigescunt et versus oculos diriguntur, in passionibus abdominis detrahuntur ex naso circa os, quod faciem quasi pendentem reddit. In affectionibus pectoris facies abbreviatur et informiter dilatatur, dum alae narium ampliantur. Fatendum attamen nimis difficile problema esse ex solis his signis certam facere conclusionem, cum saepe non satis clare extricentur. Praecipuam in hoc opere attentionem merentur.

Oculi.

Quod Physiognomia homini in toto id oculus physiognomiae. Id observatori manifestatur per colorem non minus, quam per motum directionem et modum aspectus. — Sub laesa functione hepatis et bilis oculus flavus redditur, peculiariter caerulescit albuginea in rhachitide et atrophia. Ante eruptionem scarlatinae oculi pallido rosei coloris et splendentes sunt, turbidi vero et quasi pulvere conspersi et lacrimantes praedicunt eruptionem morbillorum. Similes in adfectionibus catarrhalibus et sub dentitione. In pertussi in ipso bulbo aut palpebra chemosis conspicitur, cuius originem inscius a laesione mechanica repetet, quo

minus perspiciet esse congestionem sanguinis vel a rexi vasculi cuiusdam sub nimia adstrictione ad tussim locum habente productam. —

§. 41. Contorsio oculi ubi albuginea justo plus egreditur apud infantes frequens apparitio et diversae significationis. Ita observatur hoc exaltata irritabilitate tubi intestinalis per acida, flatum, vermes etc. producta, quae spasmos et dolores causat. Ita quoque in ophthalmiis photophobia junctis.

Frequens est infantibus somnus oculis semiaper-
tis, quin signum pathologicum constituat. In infante, cui sano alienum erat, vel exaltatae sensibilitatis, vel exhaustae vis vitalis, signum erit. Animadvertitur quoque in morbis febrilibus, hydrocephalo acuto et chronico. — Bulbi rubentes inconsuete protrusi congestionem versus Encephalon, vel plane ejus inflammationem praesente irritatione febrili suspectam reddunt. In stadio ultimo hydrocephali acuti per hoc phaenomenon mors se annuntiat. In eodem morbo sed congenito et chronico prominens bulbus deorsum versus dirigitur. Oculi in orbitam relapsi exhaustionem et decrementum virium vitalium accusant, quod si repente contingat, in morbis inflammatoriis vitae periculum minantur.

§. 42. Pupilla abnormiter dilatata reperitur in sympathica affectione Cerebri per dolores spasmos imi ventris, saburram tubi intestinalis, vermes producta. Status hic pupillae in Infarctibus, Scrophulis notissimum symptoma est. Sub decursu hydrocephali solito plus dilatata pupilla factam exsudationem suspicari admittit, ubi e contra in congestionibus et inflammationibus capitis communiter coarctari solet, praecipue exaltata sensibilitate oculi. Probe tamen meminisse oportet in statu quoque sano pupillam relative majorem esse infantibus, ac adultis, praepriis quibus oculi fuscii sunt. Denique et strabismus nostram attentionem exposcit. Hic jam per affectionem oculi uti: inflammationem, maculas corneae provocatur, mox ut sequela praegressarum convulsionum habendus est. Si a sola irritatione tubi intestinalis per acida, vermes, humores inquilinos degeneratos etc. oriatur, permanens non erit, singularem

attentionem vero exigit cum vomitu, pauca urina, constipa alve, somnolentia nexus; hac enim ratione sicca-rius hydrocephalus internus oriri solet. In chronico quoque hydrocephalo observatur strabismus.

N a s u s.

§. 43. Hic quidem minime tantam ac oculus in diagnosim praefert nobis lucem, eo non obstante, si quae exhibet signa diagnostica spernenda non sunt.

Ossa Nasi ephibii adinstar cum dilatatis aper-turis narium externis rhachiticis proprium quid est. Apex nasi tumidus habitum scrophulosum indicat. Alarum nasi per vices dilatatio difficilem respirationem comitatur. In exordio febrium inflammatoriarum vehementium foramina nasalia sunt sicca; lurida et sicca observantur in suppressa vel collapsa activitate vitali systematis cere-bralis, et nervosi uti e.g. in Encephalotide, febris nervosa.

O s.

§. 44. In investigatione oris proxime labia aesti-mium Medici exposcunt, in quibus si adest, statim se visui sistet *Labium leporinum*, quo praesente videndum, an non cum eodem et *Palatum fissum* nexum sit. Repen-tina retractio labii inferioris momentaneum spasmus, vel dolorem significat, haec extrorsum versa, dum inte-rea reliqua faciei liniamenta magis extricantur, jam in-tensioem et durabiliorem dolorem accusant. Quare Sym-ptoma hocce communiter in cholera in genere in vehe-mentioribus affectionibus imi ventris, ubi remissio spa-sticae affectionis musculorum faciei reliquis paribus emendationem annunciat.

§. 45. In passionibus Cerebri, ubi status energiae vitalis nimio opere intensus est, saepe videre est infan-tes labium inferius motu masticatorio labio superiori suppressere. In rhachitide, atrophia labium superius oblique in genas extentitur unde os latius apparet. Ex labio superiori tumido ad habitum scrophulosum con-cludimus, vel vero jam ipsam scrophulosim evolutam cernimus. —

Peculiari attentione dignum phoenomenon, sub quo os in risum componitur, quod saepe sub somno evenit, cuius causam dum flatus abdominis constituunt cum his disparet. Etiam qua signum gravium abdominis dolorum ingruit, sed hic infantes repentino clamore evigilant, ideo non raro prodromum convulsionum, in quantum hae similiter ab irritatione tubi intestinalis provenire possunt. Occurrit hic risus etiam in valde sensibilibus post quamvis exaltationem systematis vasorum sangf. in congestionibus versus caput, in irritatione vel inflammatione Encephali. In gravi affectione systematis cerebri vel nervi aequae rident infantes, quin caetera facies exhilaretur.

§. 46. Firmiter clausum os signum apud infantes fere semper mortem annuntians trismi est, qui non raro sensibilitatem cerebri per vermes saburram intestinalem, intensum dolorem, congestionem inflammationem exsudationem productam concomitatur, et pro his circumstantiis magis minusve periculosus, interdum vero lethalis. Non valent e contra os claudere infantes, si nasus concretus, vel obstructus sit, si dolores in ore e. g. ante evolutionem aphtarum, si gingivae sint inflammatae, sub respiratione difficili.

§. 47. Ipsum cavum oris investigantibus ante omnia occurrunt gingivae, ex quorum statu ad Scorbutum, difficilem dentitionem, inflammationem, exulcerationem concludimus. Simul observandum: utrum dentes aliqui jam eruperint, quot et quo ordine, qua occasione Medicus sciscitari ne obliviscatur: utrum eruptio dentium hactenus absque molestiis vel concomitante febre vehementi, convulsionibus et similibus contigerit nec ne. Stridor dentium, qui apud infantes adeo frequenter observatur variam habet tam quoad diagnosim, quam prognosim significationem. Saepe in sanis sub somno observatur, saepe oritur aequae in somno ab oppletionem ventriculi nimia, saburra vermibus. In affectionibus capitis, in decursu febrium exanthematicarum periculosum et sub circumstantiis quibusdam lethale signum est.

§. 48. Post gingivas lingua momentosum investigationis objectum praebet, in qua videndum: utrum accreta non sit, cuius praecipue in neonatis reflexio habenda, an sicca vel humida; pura vel muco, et cuius coloris tecta sit, porro an aphtae, ulcera tumores, ranula in ea occurrant. In spasmis abdominis, in convulsionibus, affectionibus cerebri lingua retracta occurrit, e contra in difficultata respiratione antrorsum porrecta; quare rhachitici infantes eam inter labia tenent. — Postmodum investigamus palatum molle et isthmum faucium, atque ex impedita deglutitione, difficili respiratione, tumore, inflammatione, et ulceribus veli palati uvulae, tonsillarum faucium etc. ad partium harum affectionem concludimus. Denique nec secretio salivae atque huius quantitas et qualitas, prout nec odor ex ore infantis nostram attentionem effugiat, qui in infante sano grate acidiusculus est sub statu morbozo in putridum vergens.

§. 49. Quamvis autem investigatio oris ac faucium pro medico magni sit momenti, multo tamen molestior ac primo momento esse videtur; infantes enim nequaquam os libenter aperiunt, quod ut primum Medicus digito attingit firmiter claudunt. Ut tamen sine potiamur opus erit infantis genas comprimere, vel quod melius nares claudere, *) ad quod ut respirare possit cogitur os aperire, cui deinde illico digitum, vel cochlear coffeaceum intrudimus, eoque linguam deprimimus, ut fauces inspicere possimus.

A u r e s .

§. 50. Harum investigatio paucis absolvitur punctis. Attendimus quippe an Parotis non sit tumida vel dolens, utrum meatus auditorius liber sit vel peregrinis uti: cerumine indurato, vel polyppo, aut abscessu etc. obstructus. Utrum othorrhoea, quae adfuit, sponte cessavit, vel arte sublata sit, an periodice recurrat, utrum illa madiditate retro aures comitetur an huius

*) Ne huius usus in convulsionibus praeprimis vero in Trismo instituat per se intelligitur.

exsiccatione ophthalmiae, exanthemata capitis, somnus inquietus et similia exorta sint, quae totidem symptomata quae ut prodroma haec profluvia praecedunt et horum ingressu iterum disparent.

C o l l u m.

§. 51. Colli status morbosus se per maciem, vel in eo occurrentes tumores, obliquam inclinationem etc. manifestat. In glandularum tumoribus ad causam, cui existentiam suam in acceptis debent, ad durationem, utrum ad ad tactum doleant, et in quali relatione ad ceterum organismum sint attendendum. Dum collum obliquum in infante conspiciamus, interrogamus utrum sit vitium connatum, vel per tumores glandularum, rheumatismum etc. etc. enatum.

P e c t u s.

§. 52. In neonatis videndum, utrum mammae tumidae, aut inflammatae non sint. In Rhachitide evoluta sternum acummatum antrosum porrectum cum sursum attractis claviculis conspiciuntur, et cavum thoracis per antrosum compressas costas carinae formam acquirunt.

A b d o m e n.

§. 53. Huius exploratio quibusdam difficultatibus subjacet, cum infantes sub hoc opere ejulare soleant, per quod musculi abdominales tenduntur, proin non scimus, utrum sub contrectatione abdominis ob per id cencitatos dolores, aut vero ex indignatione ejulent. Cum autem jacentes inquieti pedibus calcinent, praeferenda est investigatio illis in brachiis nutricis sedentibus instituenda, cum sic musculi abdominis minus tendantur, si tamen invetigatio in situ dorsali fieri debeat, tunc unum alterumve pedem in genu flexum abdomini appropinquamus.

In regione lumbali sub contrectatione saepe tumor dolens efformatur, partim ut sequela accumulatorum flatuum, partim in catarrho pectoris. Idem status occurrit in abnormi magnitudine hepatis et lienis, proin in phisconia, rhachitide. Plebs phenomenon hoc in casu

primo *accretionem*.*) in posteriori vero *magnam hep-*
par **) nominat. Collapsos vero lumbos in Pneumonia
 Rhachitide etc. etc. detegimus.

§. 54. In exploratione abdominis adhuc eo reflexio
 habenda, utrum illud molle plenum vel vacuum, vel
 utrum durum tumidum et tensum tangatur, quae con-
 ditio temperaturae. Tum utrum abdomen valde sensile
 sit, quale per flatus, spasmos, congestiones, Inflammationes
 intestinorum evadere solet. Consultum ex hinc
 erit sub contrectatione abdominis faciem intueri, quae
 sub nimio dolore illico mutatur. — Apud neonatos non
 praetervidendum: utrum funiculus umbilicalis debite
 praeligatus, et eo deciduo: utrum umbilici inflammatio
 vel suppuratio secuta non sit, an non sit prolapsus vel
 hernia umbilicalis. In regione inguinali sufficit vi-
 disse, an non adsit hernia; utrum regio haec dolorifice
 non tumeat, uti hoc esse solet in retentione alvi, urinae,
 et flatuum, vel utrum tumores glandularum adsint nec
 ne. In neonatis haec regio saepe exulcerata esse solet.

Partes genitales.

§. 55. Jam primus harum partium conspectus apud
 puerum, si hydrocele vel bubonocoele adsit, de horum mor-
 borum praesentia nos edocebit. Proxime vero momen-
 tosum est observare, utrum testes jam in scrotum
 descenderint, ne tumor dolorificus sub transitu testis
 per anulum abdominalem efformari solitus pro hernia
 vel tumore glanduloso habeatur. Blenorrhoea balani,
 quae interdum in parvulis occurrit non est semper sus-
 spectae originis, cum saepe sequela immunditiei sit,
 vel in excedentia mucosa fundatur, ex qua jam in
 diathesim scrophulosam concludere licebit. Eaedem
 circumstantiae item oxyuri vaginam penetrantes apud
 puellas fluorem album provocant, qui interdum acris
 evadit, labia pudenda excorians.

*) Das Angewachsen seyn.

**) Die große Leber.

A n u s.

§. 56. Et hic aliquam meretur attentionem. Sic in neonatis quamdiu meconium nondum secessit videndum: an ne forsan concretus, vel plane desit. Secus inspicendum: an non rubor inflammatorius, vesiculae, ulcera prolapsus intestini recti et similia adsint. Excoriationem excrementa acria causare poterunt prouti vesiculae ulcera praecipue apud scrophulosos occurrere solent.

D o r s u m.

§. 57. Huius respectu considerandum: utrum apud neonatos in columna vertebrali tumor mollis vesicularis non formetur (spina bifida); an curvaturae non adsint, an contrectatio columnae dorsalis non sit dolorifica.

C u t i s e x t e r n a.

§. 58. Investigationem habitus externi partium singularum claudemus inspectione cutis externae, quae apud infantes peculiari observationi subieienda. Anomaliae ejus praepremis visu et tactu discernuntur. Hac ratione observamus eius conditionem relate ad colorem, temperaturam; observamus: utrum sicca arida mollis humida turgescens vel collapsa sit; ad tactu an laevis aspera sit. Porro observabimus: utrum non exanthema aliquod forma macularum, nodulorum, vesicularum vel pustularum superficiem ejus obsideat, vel an non comedones, indurationes tumores etc. adsint. Praeter haec adhuc dijudicanda est eius cultura an haec debita non negligatur, an non calore nimio foveatur vel actioni frigoris exponatur,

II. Symptomata Functionum singularium.

1. Functiones vitales.

Respiratio.

§. 59. Huius functionis observatio, quantae in *Pediatrica* utilitatis sit, quivis facile perspiciet non ignorans respirationem Medico simul signa pulsus praebere, qui haec aetate magis acceleratus minus tutum judi-

cium depromere admittit, quin infantum inquietudinem respiciamus, quae pulsum explorare saepe impossibile reddit. Praeceteris in quovis morbo febrili aestimum respirationis explorationem pulsus supplere debet. Sic ex respiratione citata in febris inflammatoria ad eisdem gradum concludere licet, cum quaevis exacerbatio febrilis respirationi acceleratae paralella sit, et haec iterum normalis evadit remittente vel evanida febre, quod apud adultum per apparentem retardationem pulsus manifestatur.

§. 60. Apud neonatum ante omnia scitu necessarium utrum respiret, postmodum utrum respiratio normalem sequatur typum, quae immediate post partum accelerata est, donec pulmones ad debitum gradum expandantur, sit tamen illa facilis et insonora. Magis paralelle decurrit adhuc respiratio in infante cum eius valetudine, cum hac aetate irritabilitas magna et organorum sympathia potens sit. Verum non solum in affectione febrili sed in genere in passionibus organorum respirationis ex modo respirationis non parum deducere licet. Sed et ex consensu in affectione organorum remotorum respiratio varie modificatur. Ne proin decipiamur, investigatio hic superficialiter instituta nunquam sufficiet.

§. 61. In affectione inflammatoria pulmonum, ubi respiratio cita brevis, halitus calidus est, vagitus et tussis supprimitur, raro tantum audiuntur breves interrupti gemitus. In pleuritide periodice recurrens tussis excitat clamorem dolorificum, simul infantes in latus affectum verti desiderant, visum illuc dirigunt, vel brachium lateri affecto firmiter attrahunt. Ut proin sedem inflammationis detegamus, oportebit infantes alternatim in unum aliudve latus vertere, ut observemus, ex quo magis inquieti evadant, atque ad tussim magis incitentur.

§. 62. Pro tentamine instituendae respirationis profundae, quae si effectuari poterit, saepe magni est momenti, haec simplex methodus commendatur: Apprehendantur Infantes infra axillas ac si levare vel

servari deberent, et hi illico retrahent spiritum vel vero apprimantur sibi invicem costae in regione diaphragmatis et idem resultabit.

Per id simul apparebit postmodum, utrum Infantes postquam spiritum ita retinere coacti fuerint illico tussiant nec ne. Subsequente tussi observandum, utrum tussire possint, vel hanc reprimere conentur, utrum sub tussi paccati sint, vel vero vagiant, aut solum modo tonum axiguum gementem edant. Hae ratione distingvere valemus, utrum solum affectio catarrhalis pulmonum vel vero inflammatio horum vel pleurae adsit, vel vero utrum difficultata respiratio (exceptis mentionatis affectionibus febrilibus) ab imo ventre proveniat, uti sub abdomine tumido e. g. per oppletionem ventriculi, flatus, infarctus viscerum abdominalium provocato respiratio angustatur, in quo casu infantes si sub axillis prehendantur et levantur pro circumstantiis spiritum retinebunt absque eo, ut tussiant, licet clament.

§. 63. In Angina membranacea respiratio commu- niter sibillantem assumit tonum, ac si aër per tubum metallicum irrueret. Stertorosam respirationem habent ii, qui obstructione narium, tumore tonsillarum, uvulae aut glandularum Colli laborant. Respiratio suspiriis profundis anhellosis per vices interrupta comitata Hydrocephalo acuto propria est, in cuius decursu pectus peculiare motus peragit, in quantum thorax sub in- et expiratione pro momento figitur, antequam elevari, vel dehiscere incipiat. In febris exanthematica frequens suspirium saepe periculosam mutationem annunciat.

T u s s i s.

§. 64. Huius jam superius mentio facta in quantum haec ad affectionem inflammatoriam organorum respirationis inivat. Addendae sunt solum aliquae desuper factae observationes. — Attento et aliquantum experto facile erit distingvere tussim pure catarrhalem ab illa per idiopathicas, aut sympathicas organorum re-

spirationis affectiones conditionata. In Angina membranacea tonum latrantem assummit. Pertussim sonus pipienti galinae similis sub inspiratione prolatus characterisat. In tussi convulsiva vox resonanti tonnae vacuae similis, talis non raro et eruptionem miliarium praecedit. *)

§. 65. Sub decursu februm gastricarum apud infantes saepe evolvitur tussis, quae nullius peculiaris significationis est, si rarius absque difficultate respirationis, et sub decremento earundem occurrat. Majoris momenti est tussis, quae immediate post variolas morbilles evolvitur, periculosa post suppressionem impetiginum capitis, post subito cessantem ophthalmiam scrophulosam, si in nexu aliquo causali coexistat.

V a g i t u s

§. 66 Cum vagitus communiter cum actu respirationis simultanee incipiat, et unum in aliud influat, oportebit immediate post partum in hunc attentionem nostram convertere.

Vagitu forti et claro, quo ex utero matris exclusus mundum salutatur Infans, se bene valere annunciabit, seque robore sufficienti potiri ad continuandam vitam necessario, ubi e contra obtusus, lassus, interruptus, ad torpentem reactionem et debilitatem jus dabit.

Vagitus pro varia causa per quam excitatur varie modificatur, hinc ferme loquelaes vices subit, quo in nexu cum reliquis symptomatibus experto saepe ita clare, ut loquela status infantis patefit. Ut proin ex vagitu quid vero simile deducere liceat tonum et modum, tum vim et durationem ejusdem respicere oportebit.

§. 67. Ingratas impressiones status quisunque abnormis provocat, vel vero dolore positivo excitantur. Priores a debilitate oriri possunt, a non excontentato

*) Cum tonus tussis ad diagnosisem multum conferat, necesse saepe est eandem artificialiter provocare. Quod ut effectuetur, irritanda est radix linguae, et infans tussire cogetur praesente affectione viarum aeriferarum.

desiderio vel ab ingratis influxibus externis, qui psychice uti terror timor vel physice uti frigus, calor, situs incommodus validae impresiones in visum auditum olfactum etc. etc. agunt. Dolor repente et per vices agit, vel vero diu durat et constans est, notabilis debilitas et lassitudo si^lere jubent. —

Vagitus ex non satisfacto desiderio vel egestate uti: fame, lassus interruptus est, uti et vagitus ex taedio monotonus est, debilior fit et iterum increscit. Timor proprio et protracto tono se manifestat eodem et terror sed repente protruso. — Vagitus ex dolore inquieto vehemēti mox debili graciliori jam profundiori tono distingvitur, qui saepe intollerabilis fit, et apud adultiores lacrimas fundit, qui quo magis penetrans, quo ingratus aures ferit, eo intensiori dolore elicitur. Vagitum hunc dolore provocatum signa quoque physiognomica comitantur, linamenta faciei contorquentur, manus patientem versus partem expanduntur. Probe tamen monendum et hic, ut ubique consuetudinem infantum respiciendam esse. Dantur namque infantes peccati, apud quos affectio notabilis vagitum haud intensum prolicit, sed dantur alii, qui coelum et auras clamore implent, apud quos semper consultum erit Medico inspicere, utrum sibi herniam non acclamaverint. Sed dantur et infantes, qui quotidie certo tempore absque ulteriori causa vagitus trahunt, dum per ceteram diem satis peccati sunt, et in genere bene vegetant, quae omnia et similia Medico semper coram oculis esse debent.

§. 68. Proin certa et distingvibilis ratio vagitus praesentiam durationem et gradum doloris assignat. Sedem ipsam doloris ex solo tono vagitus adinvenire in multis, imo plurimis casibus plane impossibile, universim vero dubium est, ideo conscientioso Medico nullum signum perquam difficile hocce. opus adlevians praetereundum. In genere quasi pro norma assumi potest, quod infantes affectionibus abdominis laborantes, vel doloribus partium corporis externarum afflicti vehementissime et ininterrupte pleno gutture clament, in affectionibus capitis cum sensibilitate exaltata junctis acutos claros penetrantes edunt tonos,

qui tamen subito cum profundo et obtuso silentio variant. Minime vel plane non vagiunt infantes in statu febrili, ubi quies, qua sequela suppressarum virium vel debilitatis accedit, quod praepremis in affectionibus organorum respirationis observare licet. In Pneumonia, angina membranacea, in inflammatione tumore colli, obstructione nasi etiam si ad vagitum irritentur, infantes tamen in silentio manent, et solum modo faciem contorquent, in casu contrario semper qua bonum signum valeat.

§. 69. Rhachitici infantes id proprii habent, quod semper brevi interrupto tono vagiant et fleant, interjectim reticeant et ad tussim aut sternutationem irritentur. — Vox rauca solum et sequela adstrictionis vagitus esse potest, et ex hoc respectu non magni momenti, quamdiu tantum vox, non vero ipsae vires ex integro remittunt, momentosior fit si cum tussi jungatur, nam haec forma plerumque qua prodromum anginae membranaceae comparet, sic quoque dum aphtae cavum oris, aut fauces obsident, vox rauca redditur, qualis dein et permanet.

§. 70. Qua universalis observatio assummi potest: Quo elatior conscientia sui, et quo saniores pulmones eo intensior vagitus in dolore aequabili, et contra; quo magis patiuntur organa respirationis, et quo magis exhaustum systema cerebrale, eo peccatior infans. Si post diu durantem vagitum subito silentium ingruat, et nec defatigationis nec emendationis signum est, tunc fere semper ominosum symptoma constituit.

P u l s u s .

§. 71. Tota quanta Doctrina de pulsu ad lectulum aegroti infantis nimis arctis limitibus comprehenditur, et ideo longe minoris utilitatis ac apud adultum. Plures namque causae simul agentes signum pathognomicum, quod ex pulsu desumere intenderemus, inconstans et incertum reddunt, ita ut unice gradus celeritatis supersit, ex quo aliquatenus certam conclusionem deducere possumus, quod tamen iterum periodus aetatis, et reliquae proprietates aetatis infantilis influxu

suo adeo modificant et in sano statu, ut exinde nimis clare appareat, quam incertum sit sub his circumstantiis ex solo pulsu, vel ad praesentiam febris concludere, quid ad eius gradum et indolem? Quare exacta combintaio omnium reliquorum symptomatum hic summe necessaria, ut de statu valetudinis infantis certum iudicium depromere velemus. Nequaquam tamen exploratio pulsus ubi possibilis intermittenda, cum et hic per inconsuetam retardationem utile evadet inditium. Sic hydrocephalo interno acuto peculiariter tardus pulsus proprius est, in ipso quoque stadio primo constituto. Intermittens in spasms, nec raro in angina membranacea, praecipue ubi periculum suffocationis minatur, observatur. Tardus esse solet pulsus in chronicis affectionibus abdominis, praecipue in physconia, serophulis etc.

2. Functioens naturales.

§. 72. Statum functionum naturalium se- et excretionum, ut quantum fieri potest harum perfectam habeamus notitiam a matribus, vel nutricibus, aut personis, quae continuo in circulo infantum commorantur, expiscamur. Illae optime norunt: qualis sit infanti appetitus, quanta sitis, utrum post sumpta alimenta per vagitum, inquietudinem, flatus, singultum, vomitum valetudinem a norma deflectentem manifestet, utrum alvi evacuatio normalis sequatur, quoties et sub quibus manifestationibus, utrum ante depositam alvum infans inquietus sit, exclamet, post hanc vero hilaris et paccatus evadat, vel solum tenesmo ad alvum incommodetur; continuo dolores manifestet, qui ad attactum abdominis augentur. Non secus excrementorum quantitas, frequentia, consistentia, color, et odor resciantur.

S u c t u s.

§. 73. Ex instinctu conservationis sui ipsius conato infans perfecte evolutus ad sugendum impellitur per idem integritatem functionum omnium, et debitam reactionem activitatis vitalis manifestans. Summum

proinde meretur aestimum, an functio haec debita norma procedat, et in statu contrario, quod sit eius impedimentum indagandum erit. Saepe labium leporinum, palatum fissum, atresia nasi, accretio linguae, vel utrum non in impedimentum aliquod occultum concludere liceat, quod suspicamur saepe in mala lactis constitutione, sicut et in statu pathologico infantis haerere potest. Interdum accidit ut infans, qui antea bene sugibat, subito mammas respuat, aut vero minus avidè papillam arripiat nec eam ore firmiter teneat, sed omni momento remittit et retento spiritu a sugendo desistit, vel vero ad tussim irritatur et sugere desinere cogitur, ut spiritum capere possit. Si in causam harum anomaliarum indagaverimus, oculus attentus eam in fungis, aphtis, ulceribus cavum oris aut fauces obsidentes detegit, vel inflammationem colli pulmonum, aut mucum in naso accumulatum reperiet.

§. 74. Sub decursu multorum morborum deletus instinctus sugendi jam periculosum jam lethale symptoma constituit. Sub dentitione ad mitigandum pruritus gingivarum infantes os frequenter papillae atterunt, vel plane dentes ei infligunt repente incremente dolore. Saepe contigit, ut infantes ex alterutra mamma paccate et cum aviditate sugant, alteram vero respuant, dum ei admoventur inquieti fiunt, aut plane vagiunt. Causa huius saepe in sensatione dolorifica consistit, quam in parte hac corporis, ex qua mammae admoventur persentiunt, ideo latus hoc infantis investigandum, an non inflammatio, dolens tumor, abscessus in capite, auri, collo reperiat. In inflammatione pleurae vel pulmonum plerumque cum aviditate sugunt, dum id in latere affecto jacentes perficere possunt, in opposito vero sugere recusant, cum per id ad tussim irritantur. Accidit tamen, ut sub his circumstantiis tantum modo situm dorsalem perferant. Interdum infantes torminibus affecti quieti redduntur, et sugunt in situm erectum collocati.

A p p e t i t u s.

§. 75. Ferme omnis oeconomiae animalis morbosa alteratio appetitum cibi turbat. Ideo anorexia minus

symptoma certum alicuius morbi singularis constituit, quam potius commune signum status cuiuspiam morborum. Eo tamen non obstante et desuper aliqua in genere asseri possunt. In Atrophia excedens cibi appetitus nonnunquam immediate variat cum defectu ejusdem. Helminthiasi affecti, ut primum evigilant, experiuntur necessitatem cibos sumendi, cui si non satis fiat apparenter pallescunt. Scrophulis, rhachitide physconia, mucositate aut vermibus laborantes peculiariter appetunt res crudas, siccas, aut frigidas. — Reversio appetitus praecipue in febribus acutis, et multis aliis morbis est certum signum emendationis.

S i t i s.

§. 76. Sitis adaucta est constans signum status hypersthenici, quocum crescit et deserescit. Sic in morbis febrilibus simul cum fastidio cibi instat, cuius imminutio in febribus inflammatoriis, qua signum decrescens febris haberi potest consentientibus reliquis symptomatibus. Si sub aestu sicco nulla vel valde moderata adsit sitis, tunc haec symptomatum contradictio in statu febrili eminentem systematis cerebri, aut nervosi affectionem denotat; ad initium Encephalitis pro circumstantiis convulsiones apoplexiam vel hydrocephalum acutum pertimescendos facit. In morbis chronicis, scrophulis, rhachitide, atrophia, perdurans praecipue nocturna sitis, in quantum haec anomalia in horum morborum progrediente evolutione fundatur, semper momentosum signum efficit. — Infantes hydrocephalo interno chronico laborantes rarissime bibunt fere nunquam sitiunt.

V o m i t u s.

§. 77. Dignitas vomitus respectu diagnosis et prognosis variat pro diversitate causae fundamentalis. Apud neonatos frequenter revertens vomitus observatur in eorundem emolumentum *) non tamen semper, nec nisi dum ventriculus per vomitum hunc

*) Unde proverbium populi: Speisfänder, Speichfänder.

spontaneum a superfluo eundem onerante lacte liberatur, ut remanens sufficiens quantitas debite digeratur. Quare dum infantes vomitu corripuntur investigandum, an ex errore nutrimentorum qualitate, aut quantitate peccantium et inde natis sequelis vomitus provocetur, an ex vehementi commotione repleto existente ventriculo instituta, aut forte compressione abdominis oriatur, an non a debilitate vel exaltata sensibilitate ventriculi dependeat, vel ab acidis obstructionibus, accumulatione muci, vermibus provocetur, in quo casu posteriori id ventriculo vacuo contingere solet. Nec minus quae sequela status irritativi hepatis vomitus oritur. Pessimi ominis est vomitus in gastritide, Enteritide, Encephalitide, Hydrocephalo et s. Variolae quoque morbilli et scarlatina vomitu se annuntiant, sicuti saepe et paroxismus febris gastricae et catarrhalis.

A l v u s.

§. 78. Apud neonatos ante omnia meconii secessus observandus est. Ubi post natiuitatem nedum secessit investigare oportet, an ne fors atresia ani adsit et s. p. Color excrementorum infantum est aequabiliter flavescens, consistentia nec nimis fluida nec nimis solida, quorum normaliter continget evacuatio, si haec bis aut ter per diem sequetur, unde vel unius diei cohibita evacuatio alvina longe maioris significationis erit, ac apud adultos. Transitus coloris excrementorum flavi in alium, si illa simul tenacia et liquida sint ita, ut pars tenax in fluida natet, turbatae digestionis signum erit. Crebrae alternationes alvi constipatae cum diarrhoea vitia assimilationis et systematis glandulosi produunt, quare status hic praeprecis in mucositate helminthiasi serophulis, atrophia deprehenditur. Moderatus alvi fluxus sub dentitione plus prodest, quam ejus constipatio praeprecis in robustis individuis.

§. 79 Manifestationes quoque doloris, quae alvum praecedunt, comitantur, vel et post eam perdurant plus nihilo utiles significationes. Si infantes ante habitam alvum vagiant, hac vero secuta peccati evadunt, tunc

d flatibus, acrimoniae foecum, adstrictioni adscribi poterit. Sin tamen et post depositam alvum vagiant, et inquieti sint, et dolor sub contrectatione abdominis increseat, tunc id in nexu cum reliquis symptomatibus, et debito aestimio causarum occasionalium perdurantem irritationem tubi intestinalis indicabit per saburram gastricam acidum etc. conditionatam, vel vero exaltatam sensibilitatem, spasmos abdominales, congestionem vel inflammationem prodet.

Excretio alvi semper momentosam involvit significationem, ideo ejus inspectio nunquam negligenda. Ex constitutione excrementorum non modo in characterem morbi, et eius exitum concludimus, sed una cognoscimus excedentiam pituitosam, vitia venae portae et systematis cholopoetici, acidum primarum viarum, infarctus, dysenteriam, Lienteriam, verminosim. Hac occasione simul meminisse oportet pertinacis illius alvi obstipationis, sub qua abdomen molle, vacuum, indolens contrectatur, quae vomitu absque praesentia gastricismi comitata inter signa incipientis Hydrocephali pertinet. Infantes hydrocephalo chronico laborantes saepe per septimanas alvum non evacuant.

U r i n a .

§. 80. *Urina infantum in genere pallida, turbida absque praevalente acido est. Apud neonatos si hi urinam: nondum misissent videndum: an urethra non concreta, vel obstructa sit. Post haec restat Medico quaestio: utrum excretio urinae ad normam contingat, aut vero inter dolores evacuetur. Frequenter occurrit apud infantes Ischuria, quae in spasmo Cervicis vesicae urinariae refrigerio, flatibus, accumulatioe foecum etc. provocato fundatur. Exacte proin inquirendum, dum infantes multum vagiunt; femora abdomen versus adtrahunt, et iterum repellunt, linacea, quibus involvuntur, sicca reperiuntur; inquirendum: utrum super synphism ossium pubis tumor formetur. Dum iufantes sub urinae missione dolorem manifestant scitu necessarium erit: utrum exaltata sensibilitas, vel excoriatio aut inflammatio partium genitalium, vel sola urinae acrimonia in causa sint etc.*

§. 81. Sub exordio febris inflammatoriae praecipue dum vehemens est, et infantes irritabiles invadit, non raro urinae secretio intercipitur, in cuius sequelam saepe per plures dies nullam. excernunt urinam. Momentosius phaenomenon sistit haec retentio urinae sub decursu febrium exanthematicarum, per id enim communiter infausta mutatio annuntiatur. In primo stadio hydrocephali acuti vel brevi ante evolutionem eiusdem urina parca excernitur sedimento cretaceo instructa, subsecuta vero exsudatione eadem larga quantitate fluit odorem proprium ingratum spargens. Infantes scrophulosi urinam sero lactis similem mittunt, praecipue valde sensiles, vel qui mucositate, vel vermibus laborant. — In genere eadem principia saemioticae in deducendis ex urina signis apud Infantes nos dirigunt, quae apud adultos tenemus, ea tamen cum distinctione, quod apud neonatos non adeo qualitatem urinae, quam potius quantitatem eius aestimemus.

S u d o r.

§. 82. Sudor quoque praesertim in morbis chronicis nonnulla peculiariora offert signa. Infantes infarctibus, rhachitide, scrophulis, atrophia laborantes perduranter sudant praesertim in capite. — Cum suppressa transpiratio cutanea in pathogenia organismi infantilis tanti momenti scenam agat, non satis attenti esse possumus in vitia suppressionem hanc causantia. Attentos esse oportet in modum et rationem, qua refrigerium admittitur, uti hoc apud infantes frequenter accidit, dum dormientes tegmina ab se remonent, sudantes e lecto repente eximuntur, exuti tractui aeris exponuntur, vel dum balneantur corpore denudato dimidio ex aqua prostante, aut in propriis sordibus jacere coguntur. Similes causae morbos exanthematicos, passiones febriles, inflammationes non una vice provocarunt.

3. Functiones animales.

§. 83. Functiones animales in infante respectu saemiotologiae omnibus reliquis cedunt, cum investigatio earundem potissimum vocalem exposcat declarationem, quae hic praecipue prima vitae periodo impossibilis

est. Igitur quod animales functiones attinet, Medicus hoc respectu ad ea restringitur, quae externae per consequentiam manifestantur, quod potissimum per somnum et per generalem manifestationem grati et gaudii, vel ingrati et doloris accidit, quae postrema ut manifestationes affectus animi considerari possunt.

S o m n u s.

§. 84. Somnus profundissima quies est, sub qua vita formativa optime procedit, ideo apud infantes prima vitae periodo potiore vitae partem explet, est que in genere bonum signum, si ex eodem fere unice ad capiendum nutrimentum evigilent, vel alteri necessitati satisfaciendum.

Circa somnum meditantibus ante omnia occurrit: utrum paccatus vel inquietus, aut interruptus sit. Infantes, qui sub somno convelluntur, vel ex eodem repente excitantur, morbis abdominis uti: flatibus acidis vel doloribus abdominalibus afficiuntur. Idem experiri in omni statu febrili, congestionibus capitis durante dentitione, et ante eruptionem exanthematis occasio se offert. — Sub sensibilitate exaltata, vel praesentibus doloribus totalis agrypnia locum habet, quae saepe citam evolutionem systematis nervosi pro fundamento habet. In hoc casu infantes media nocte subito e somno excutiuntur absque vagitu, nec ulla ratione amplius in somnum perducere possunt. Infantes, in quibus sub dentitione hoc phaenomenon comparet, hanc periodum raro superant. Haec repentina evigilatio saepe praecursor est gravis affectionis cerebri.

§. 85. Somnus solito plus protractus instantem morbum annuntiat, vel jam praesentem comitatur. In aestu febrili Infantes in genere profundus somnus obruit, qui in intermittenti per integrum paroxysmum perdurat, sub quo sudor largus erumpit, evigilantes, si ad lusus suos revertantur apyrexiam adesse significatur. Peculiarem attentionem meretur somnus, si per congestiones capitis provocetur per inflammationem Cerebri, accumulationem liquidi serosi in ventriculis Cerebri, per narcotica, inter quae penetrantia effluvia odora quoque pertinent, Memores tamen esse oportet,

quod multi infantes, praesertim debiles, immaturi, multo desidiores et somnolentiores sint aliis.

A n i m u s.

§. 86. In animo infantis naturalis viget hilaritas, hinc si qua corripiantur indignatione proxime insequens momentum idem oblivioni tradit, eundem ad congenitam hilaritatem reducit. Ideo ferme quivis, praecipue perdurans defectus vivacitatis, somnolentus, et morosus in agendo modus, tristitia, indifferens animus erga res sibi charas, qua symptoma status valetudinis a norma deflectentis haberi potest. Interim et contrarium locum habere potest. Si infantes, qui a natura desides et indolentes erant, subito alacres et vivaces evadant, non alteri, quam subitaneae corporis mutationi hanc vicissitudinem adscribemus. In morbis gravibus ut. C. Hartmann monet mira mentis exaltatio, sub qua maius iudicio et rationi lumen aut voluntati robur additur, quam sano praesto erat, instantem mortem annuntiat; quemadmodum e contra bonum erit signum, si infantes, qui initio passiones suas paccato tulere animo inquieti, irracundi, nec facile placandi evadunt. Per id enim, si nullum aliud obsit symptoma, emendatio se annunciabit, prout etiam per revertentem participationem erga pristinas consuetudines, et lusus. Si tamen haec animi mutatio non sit diuturna, sed inconstans, ita ut jam appetant, mox iterum aversentur, phaenomenon hoc omnino pro signo momentoso habendum.

§. 87. Superfluum videtur esse addere: Quodlibet symptoma pro se fallere posse, si solum in considerationem summatur, diversarum enim causarum effectus esse poterit, cumque diversissimis aliis in nexu esse. Solummodo per combinationem omnium reliquorum symptomatum suam veram obtinebit significationem. Quo plura indubia inter se concordantia symptomata se unient, eo certius iudicium de morbo deprometur.

T h e s e s.

1.

Plurimi Infantum morbi in tubo intestinali radicem figunt.

2.

Lactatio prolis nec omnibus imperanda, nec etiam nisi gravibus causis Matres ab illa dispensandae.

3.

Nulla in scientia tot fatigiis pervenitur ad veras scientiae cognitiones, ac in medica.

4.

Increscens Medicorum numerus, et scientiae et humanitati prodest.

5.

Eventus felix curae in aegro ab agyrta tractato non scientiae eius, sed aut jam praegressae curae rationali, aut soli naturae debetur.

6.

Rheumatismus inflammatorius diaphoreticis perverse tractatur.

7.

Coëxistentia in Medicina varia systemata plus detrimenti, quam emolumenti praebent.

8.

Methodus Galli Le Roi emeto-catharica e medicina humana exilio plectenda.

9.

Sanguinis evacuatio in morbis inflammatoriis princeps remedium sistit.

10.

Mercurius ad sanandam syphilidem absolute necessarius non est.
